

volui, statim humana carne indutus clamavit, et legem tuam in medio Cordis mei » (Conc. Tarracon. Preces ad SSmum Patrem Clement. XIII. Pro extensione officii et Missae sacr. Cor. Iesu. 13 Novembris 1738).

II. — Cultus, et quidem latriae (Pius VI, Const. *Auctorem fidei*) debetur huic sacratissimo et augustissimo Cordi: pars enim cum sit corporis a Verbo divino assumpti, est vere, ex vi unionis hypostaticae, Cor ipsius Personae Verbi. Unde misericordiae et caritatis infinitae, qua Christus nos usque in finem dilexit, et quae impulit eum ut Sanguinem funderet, mortemque pro salute nostra subiret, atque nobis Corpus in cibum, et Sanguinem in potum in Eucharistia relinqueret, est symbolum. Ex illo Corde, lancea in cruce perforato, nata est Ecclesia, manarunt sacramenta, exivimus et nos omnes, qui ex aqua et sanguine inde profluentibus renati sumus per baptismum, et facti sumus de carne et corpore Christi. In hoc Corde inexhaustus est thesaurus misericordiae, fons perennis gratiarum, et plenitudo bonorum omnium in nos derivandorum, ut in fide stantes, et in caritate radicati et fundati (Ephes. III, 17) possimus ad Deum accedere, hostes profligare, virtutibus abundare et ad immarcescibilem gloriae coronam pervenire.

III. — Iam vero, cum ubicumque hic cultus inducitur aut inductus viget, ibi splendere incipiat, aut augeatur et refulgeat amor divinae Eucharistiae, quae vitae totius spiritualis et fons et centrum est, atque perfectio et robur, ideoque fructus pietatis percipiuntur uberrimi, clarissime apparet, et a nemine negari potest, validissimum et vel maxime opportunum remedium exhiberi per hunc cultum, malis de quibus tantopere dolet piissima mater Ecclesia, quod nempe mul-

torum in cordibus refriguerit caritas, et a pluribus deserta sint sacramenta, nomenque habentes quod vivant, mortui sint (Apoc. III, 1). Aetate hac nostra in immensum succrevit superbiae spiritus, atque inordinatus sui amor: quomodo consistere ista possent, si ab omnibus Ecclesiae filiis divinum illud coleretur Cor, de quo pronuntiavit ipsemet Iesus: « Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde? » (Matth. XI, 29). Ea propter Pius IX, ven. mem., fidelium omnium pietatem excitare voluit, « ut in plenitudine fidei semper confugiant ad Dominum nostrum Iesum Christum, qui redemit nos Deo in sanguine suo, eiusque dulcissimum Cor, flagrantissimae erga nos caritatis victimam enixe iugiterque exorent, ut amoris sui vinculis omnes ad se ipsum trahat, utque omnes homines, sanctissimo suo amore inflammati, secundum Cor eius ambulent digne Deo per omnia placentes, in omni bono opere fructificantes » (Encycl. *Quanta cura*).

IV. — Studeant igitur qui animarum curam gerunt, omnesque verbi divini praecones, huic cultui et piissimae devotioni tum sibi magis magisque intelligendae et comparandae, tum aliis, iis praesertim qui perfectiora aemulantur, aperiendae et inculcandae. Nihil in hoc pio opere omittant, prae oculis semper habentes, se eo magis ovibus suis esse profuturos, quo maiori arserint caritatis igne erga Cor Domini sanctissimum, ex quo divitiae gratiae abundantissime diffluunt in eos qui eius cultum amplectuntur, et sollicite curant ut ab aliis pariter exercentur.....

V. — Promoveatur ergo Sacratissimi Cordis cultus, ut clerus, spiritu sacerdotali in suo fonte imbutus, libentissime se impendat et superimpendatur pro animabus fidelium (2 Cor. XII, 15), et populus spiritu Christi infor-

metur, et ad Cor altum accedens, locum refugii inveniat, ut salvus fiat ab hostium omnium incursione. Doceantur etiam fideles, hunc salutiferum cultum in hoc praecipue esse, ut praeter adorationem divino Cordi exhibendam, praeter frequentes actus ad reparandas iniurias Deo illatas directos; praeter alia, tum publica, tum privata piae devotionis exercitia, ad imitandum Christum Iesum animum nostrum convertamus, ut ipso per fidem habitante in cordibus nostris (II Ephes. III, 11), vita etiam eius manifestetur in carne nostra mortali (2 Cor. IV, 11), Sanctissimi enim Cordis illi veri cultores sunt, qui ipsius humilitatem, obedientiam, rerum omnium, et praesertim sui ipsius abnegationem, in omnes sincerissimam caritatem, in Patrem ardentissimum amorem, pro suo modulo, aemulantur, cum ipsemet Iesus cunctos alloquatur dicens: « discite a me » (Matth. XI, 29); exemplum enim dedi vobis (Ioann. XIII, 15).

VI. — Ut autem haec omnia ad praxim facilius reducantur, utque devotio erga SS^mum Cor Iesu, et erga purissimum Cor B. M. V. magis magisque in dies crescat, optamus in singulis provinciae nostrae paroeciis et regularium ecclesiis, fidelium venerationi exponi imagines sacrorum Cordium Iesu et Mariae: « Imagines autem SS. Cordis Iesu et Mariae solum cor repraesentantes privata ex devotione permitti possunt, dummodo in altaribus publicae venerationi colenda non exponantur. (Decr. S. O. 22 Aug. 1891 in Collect. S. C. de P. F. p. 792, n. 1976). » Concionatores insuper, sacerdotes omnes, sed praecipue parochos, grato animo et spe ducti hortamur in Domino, ut conatus et labores validos ad commendandam, statuendam, fovendam et conservandam, prout fieri possit, in omnibus populis vel confraternitatem

sacratissimi Cordis Iesu, vel piam precantium foederationem, quae *Apostolatus orationis* dicitur. Utraque, sed postrema praesertim commendatur, et gratiis augetur a Sanctissimo Domino Nostro Leone XIII, tamquam aptissimum et efficacissimum medium, tum ad fidelium pietatem fovendam, tum ad obtinendas a divina clementia gratias, quibus hisce luctuosissimis temporibus tantopere indigent fideles (Litt. *Cum a Sodalibus* 30 Mart. 1886).

TITULUS V.

DE CULTU BEATISSIMAE VIRGINIS MARIAE
ET SANCTORUM.

I. — Sicut Spiritu Sancto afflante, inclamavit Apostolus Paulus: Regi saeculorum immortalis et invisibili, soli Deo honor et gloria (I. Tim. I, 17), ita, illo pariter dictante, nos alloquitur Psalmista: laudate Dominum in sanctis eius (Ps. xc, 1) quia mirabilis est in illis. — Deum itaque adorantes, sanctos quoque veneremur oportet. Haec enim sanctorum cum Christo regnantium veneratio, nihil aliud est, nisi cultus Dei mediatum, quippe cuius maiestas et benignitatis donum mirifice in iis resplendet, qui conformes facti sunt imaginis Filii eius (Rom. VIII, 29), quorumque exemplis efficacius adigimur, atque intercessione iuvamur ad serviendum Deo viventi, et aeternam gloriam promerendam, ut cum ipsis pariter gloriamur.

II. — Iam vero inter omnes coelites, una super omnes eminent beatissima Dei Genitrix Maria, quae exaltata est super choros angelorum ad coelestia regna, quamque « in primo instanti suae Conceptionis, singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu me-

ritorum Christi Iesu, Salvatoris generis humani, ab omni originalis culpa labe praeservatam immunem » (Pius IX, Bull. *Ineffabilis*) firma fide laetabundi profitemur, quemadmodum a prioribus Ecclesiae saeculis gens nostra piissimo amoris sensu professa est, ab Apostolica Sede, in posterioribus, dogma fidei declarari saepius exoptulavit, et publicis solemnitatibus, extructis templis, et piis multiplicatis foundationibus testificata semper fuit.

III. — Hanc igitur speciosissimam Virginem, non fortuito inventam, sed a saeculo electam, ab Altissimo praecognitam et sibi praeparatam, ab angelis servatam, a patribus praefiguratam, a profetis promissam (S. Bernard. Serm. I super *Missus*), cui fecit magna qui potens est (Luc. I, 49), quam angelus reverenter salutavit: *Ave gratia plena* (Id. id. 28), de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus (Matth. I, 16), et cuius ipse subditus esse voluit, eam matrem agnoscens (Luc. II, 51), quamque nobis quoque matrem donavit (Ioann. XIX, 27), singulari prorsus amoris obsequio et cultu prosequamur, illique pleno gaudio venerantes iubilemus: est enim unde apud ipsam quodammodo gloriemur (S. Thom. a Villan. Conc. 2 *De Nativ. Virg.*); quia naturam nostram habet, non aliam (S. Petr. Damian. Serm. I, *De Nativ. Virg.*), gratia plena sibi, superplena est nobis (S. Bernard.), omniaque per eam Deus nos habere voluit (Id. Serm. *De Nativ. B. M. V.*), per quam in Filio suo abundantius recepimus, quod in Eva tristes perdidimus. Unde sanctissima quoque ipsius destinatio est, ut sit apud Patrem misericordiarum deprecatrix, patrona, advocata, et mediatrix nostra, sentiantque omnes suum iuvamen, quicumque implorent maternum eius patrocinium.

IV. — Magno cordis solatio populi nostri avitam religionem erga beatissimam Matrem Dei commendantes, eo ardentius optamus, ne unquam ipsius pietas arescat; sed potius in dies augeatur, quo certius persuasi sumus, uberrimos exinde gratiae fructus in ipsum esse redundaturos. Omnes itaque fideles nostros vehementer hortamur, ut totis medullis cordium, totis praecordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam colere pergant, sicuti patres nostri coluerunt, « atque ad hanc dulcissimam misericordiae et gratiae matrem in omnibus periculis, angustiis, necessitatibus, rebusque dubiis ac trepidis, cum omni fiducia confugiant. Nihil enim timendum est, nihilque desperandum, ipsa duce, ipsa auspice, ipsa propitia, ipsa protegente, quae maternum sane in nos gerens animum, nostraeque salutis negotia tractans, de universo humano genere est sollicita, et coeli terraeque regina a Domino constituta, ac super omnes angelorum choros, sanctorumque ordines exaltata, adstans a dextris Unigeniti Filii sui Domini nostri Iesu Christi, maternis suis precibus, validissime impetrat, et quod quaerit invenit, ac frustrari non potest. (Pius IX Bulla *Ineffabilis* 8 Dec. 1854).

V. — Nullo igitur studio, nullo labori parcant parochi, ceterique Dei ministri, ut Bñae Virginis Mariae cultui maiora semper incrementa accedant. Festa ipsi sacra per anni decursum redeuntia, omni devotione ac insigni apparatu celebranda curent, et quantum fieri poterit, preces novendiales, vel triduanas supplicationes illis praemittantur, quae et augendo devotionis fervori, et animis ad sacramenta in ipsis suscipienda praeparandis summopere conferunt. Solidos et amore pleno sermones habeant de mysteriis, virtutibus et meritis Bñae Virginis, atque de venerationis officio et modo,

omnes praesertim hortantes, ut imitatores tantae matris sint ut filii carissimi, unde melius consequantur, ut suos misericordes oculos ad ipsos pietissime convertat, atque tenerrimos erga illam affectus, ceu insigne fidei et innocentiae tutamen iam parvulis instillantes. Nullo enim alio modo optime colitur B^{ma} Virgo, quam earum virtutum exercitio, quae in ipsa resplenderunt; vanaque est religio, quae virtutibus vacua est.

VI. — Probamus, laudamus, et parochis populo docendas commendamus omnes in Ecclesia catholica usitatas preces, et alia pietatis exercitia, quibus Mater Dei condigno modo publice et privatim colitur, laudatur et invocatur, necnon diversa sodalitia et confraternitates, auctoritate legitima probatas, quae sub invocatione Beatae Mariae Virginis eo fine coaluerunt, vel coalescunt, ut non modo pietas erga illam in cordibus fidelium magis magisque invalescat; sed speciales quoque salutare fines tanta sub protectione facilius obtineantur. Praecipimus tamen ne quis hactenus insolita pietatis publica exercitia, sive sodalitia, sine expressa sui Episcopi licentia, introducere audeat. Cavendum enim summopere est, ne praetextu pietatis, aut aliqua indigna exerceatur superstitio, aut mores eo corrumpantur quo corrigi debuissent.

VII. — Speciali prorsus modo commendamus, et a parochis ac verbi Dei praeconibus commendari volumus piissimum SS^{mi} Rosarii Beatae Virginis exercitium, tot laudibus ornatum a SS^{mo} in Christo Patre ac Domino Leone XIII, qui repetitis Apostolicis Litteris ac decretis (*Encycl. Supremi Apostolatus*, 1 Sept. 1893. — *Litt. in forma brevis*, 24 Dec. 1883. — *Encycl. Superiori anno*, 30 Aug. 1884. S. R. C. *Decret. Urb. et Orb.* 20 Aug. 1885), et memoriam facit insignium be-

neficio, quae in universam Ecclesiam, et in singulos fideles ex hac sanctissima devotione obvenerunt, et omnes hortatur ad illud frequenter, immo quotidie recitandum: ac praecipit, ut singulis mensis Octobris diebus publice dicatur Rosarium in omnibus ecclesiis parochialibus, aliisque Beatae Virgini dicatis, ad ipsius pietissimae matris implorandum auxilium miseris his temporibus, quibus tot tantaque mala Ecclesiae Catholicae, eiusque Supremo Pastori incongruunt. Probatissima est haec precandi forma, quae cum salutatione angelica pie iterata, quasi rosis rosas iungat, rosarii nomen haud immerito tulit. « Rosarii devotione gaudeat indoctus, nec eam aspernetur doctus, humilians se, sicut parvulus, ut maior sit in regno coelorum (Matth. xviii, 4). Omnes autem precum coronam ita texere studeant, ut mentem ad benedictam inter mulieres, et benedictum fructum ventris eius erectam teneant, et mysteria reparationis nostrae, per singulas decades disposita, ac intimo animi sensu recolant » (*Conc. Prov. Vienn.* 1858), ita tamen ut, et imitentur quod continent, et quod promittunt assequantur.

VIII. — Volumus pariter, ac hortamur, ut pius et optimus mos servetur et augeatur, singulari ratione mensem Maium cultui B^{mae} Virginis consecrandi. Hoc mense, dum iam hiems transiit, et flores apparuerunt in terra nostra (*Cant.* II, 12), dum campis, silvisque decor suus redit, coelum ridet, flores hiant, animus rerum divinarum amans invitatur ad memoriam Reginae coeli et terrae, quae est flos campi et liliium convallium (*Id. id.* 1), et velut a spinis mollis rosa surrexit acutis, nil quod laedat habens (*Sedul. Carmen. Pasch.* II, 29, 30). Omnia tamen fiant iuxta ordinem

ab Episcopo praescriptum, seu probatum pro locorum adiunctis.

IX. — Peregrinationes quoque sacras ad Beatissimae Virginis Mariae celeberrima sanctuaria, ceu pergratum devotionis exercitium, immo et poenitentiae documentum, Ecclesiae suffragio probatum, laudamus ac fovere volumus ita tamen, ut non nisi consulto Episcopo et probante fiant; cuius erit omnia rite ordinare, ut praeside parochi, aliove sacerdote, peregrinantium devotio aptissimis dirigatur consiliis et caveatur omnino ne abusus irrepant, aliaeve res inconvenientes agantur quibus fidelium pietas scandalum accipiat, ac impietati adversariorum calumniandi occasio praebeatur. Hoc etiam de omnibus peregrinationibus ad quemcumque pium locum faciendis intelligatur.

X. — Mexicani tamen speciali ratione tenemur nosmetipsos gratos exhibere erga B. V. Mariam sub titulo de Guadalupe; ipsa enim sua apparitione in Tepeyac quodammodo ceteris gentibus et nationibus nos praetulit. Quapropter hortamur in Domino parochos, ut ad cultum B. Virginis Mariae de Guadalupe inter populos sibi commissos magis magisque promovendum curent ut in singulis ecclesiis erigatur altare B. Virgini Mariae de Guadalupe dicatum, et ubi etiam fieri possit templum. Ita haec tenerrima devotio altiores inter nos quotidie aget radices et benedictionibus coeli, inde profluentibus digni efficiemur.

XI. — Cultui illo eximio, quo Reginam angelorum et sanctorum omnium prae ceteris honoramus, accedat pia veneratio aliorum coelitem, qui adstant ante Deum, et cum Christo regnant in aeternum, ut per ipsos gratiam obtineamus apud Dominum, et auxilia opportuna consequamur ad eorum exempla sectanda, atque re-

promissum praemium a Patre coelesti promerendum: nam ut ait Augustinus, multa Deus non concedit, nisi mediatoris ac deprecatoris opera et officium accesserint. (Quaest. 149 in Exod.) »

XII. — Foveant parochi, cunctique sacerdotes, in populis cultum et venerationem Sancti Iosephi, quem catholicae Ecclesiae Patronum ven. mem. Pius IX declaravit (S. R. C. 8 Dec. 1870). Si omnibus sanctum et dulce est Christum adorare, et Mariam celebrare, dulce et sanctum quoque erit illum colere, qui Christ pater putabatur, patris officia Christo exhibuit, cuique Christus in terris subditus erat (Luc. II, 51). Eius patrocinium nos celebrare voluit sancta mater Ecclesia: omnes igitur ad ipsum confugiant oportet, et religioso cultu illum prosequentes, eximias virtutes imitentur. Filius David iustus et humilis superbiae humanae fastum confundit, et labore manuum suarum, et in sudore vultus sui comedens panem, ac Iesu et Mariae necessaria procurans, omnibus qui in laboribus versantur et fatigantur, exemplum sit et praesidium. Apud homines quidem faber lignarius dicebatur, sed in coelis ineffabili fulget gloria, et validissima sua oratione cunctis eum implorantibus spiritualia et temporalia saluti congruentia a Deo impetrat beneficia. »

Inter nostrates praesertim foveri a parochis ac promoveri debet cultus S. Iosephi, utpote qui trecentis iam ab hinc annis solemniter a Concilio III Mexicano Patronus Ditionis Mexicanae declaratus est, et speciali concessione et privilegio S. Sedis imperiali corona labente saeculo XVIII redimitus. Hac de causa Concilium hoc Antequerense renovat declarationem specialis patronatus S. Patriarchae super hanc nostram patriam; et mandat ut eiusdem festum, uti cetera festa de

praecepto observetur die 19 Martii cum obligatione audiendi Missam et abstinendi ad operibus servilibus.

XIII. — Colant sacerdotes et fideles nostri Sanctum Michaellem Archangelum, cuius patrocinio indigemus ad praelianda praelia Domini, ad inimicos fidei nostrae profligandos et ad Satanae ministrorum tela confringenda, quemque quotidie invocari in universa Ecclesia praecepit SS̄mus Dominus Leo XIII post Missas private celebratas (S. R. C. 19 Ian. 1884). Ille Deo fidem servans in magno cum dracone certamine coelestem militiam ad victoriam duxit sub gloriosa nominis sui tessera: *Quis sicut Deus*. Ille princeps populi Dei in sacris litteris appellatur (Dan. XIII, 1): ille tutelariorum est angelus sanctae Dei Ecclesiae, cui semper adiutor fuit, et cui praecipue in illo ultimi discriminis tempore validissimus defensor aderit (Id. id.): ille denique animas in Domino morientium Deo repraesentat in lucem sanctam, quam olim Abrahae promisit et semini eius. Colant angelos in singulorum custodes datos, insidiantibus hostibus ne succumbamus, et ut custodiant nos in omnibus viis nostris (Ps. xc, 11).

XIV. — Summa veneratione omnes habeantur sancti, « sed praesertim qui patriae nostrae et aliarum Americae gentium constituunt maximum et praecipuum decus et ornamentum, sive ratione nativitatis, sive quia sua praesentia, exemplis et omnium virtutum genere has regiones exornarunt. Omnes igitur hortamur, sed praecipue parochos aliosque sacerdotes, ut ea qua possunt sedulitate, inter nostrates promoveant ac foveant cultum Sancti Philippi a Iesu, protomartyris Mexicani, B. Bartholomaei Gutierrez, Beatorum Petri Zuñiga, Ludovici Flores et Bartholomaei Laurel martyrum, et Beati Sebastiani ab Aparitio, atque etiam aliorum

sanctorum qui in America Meridionali floruerunt, inter quos emicant Martyres Brasilienses, B. Ignatius de Acevedo et socii, S. Rosa totius Americae patrona principalis, S. Thuribius a Mongrovejo, S. Ludovicus Bertrandus, S. Franciscus Solanus, S. Petrus Claver, B. Mariana a Iesu de Paredes, B. Ioannes Macias et B. Martinus de Porres.

XV. — Summo denique studio curent parochi, ut speciali religione celebretur dies Sancto uniuscuiusque populi coelesti Patrono, vel Ecclesiae titulari dicatus, ut in memoriam omnium revocentur ipsius excellentissimae virtutes, quas aemulentur, et beneficia ipso intercedente accepta, quae gratum animum exigunt, ac spem foveant ampliora in futurum accipiendi, si illius protectionem promereri satagant. Caveatur praesertim ne Sanctorum celebratione et Reliquiarum visitatione, homines ad commessiones et ebrietates abutantur, quasi festi dies in honorem Sanctorum, per luxum ac lasciviam agantur (Conc. Trid. Sess. xxv, Decret. *De invocat. et vener. Sanct.*); sed id semper in fidelium mentes revocetur ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat (S. Aug. Serm. 47 de Sanctis).

TITULUS VI.

DE SACRIS RELIQUIIS ET IMAGINIBUS.

I. — Cum Tridentini Concilii Patribus profiteamur et docemus, « sanctorum martyrum, et aliorum cum Christo regnantium corpora, quae viva membra fuerunt Christi, et templum Spiritus Sancti, ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse, per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur. » (Conc. Trid. loc. cit.). Similiter,

« imagines Christi, Deiparae Virginis, et aliorum sanctorum in templis praesertim habendas et retinendas, eiusque debitum honorem et venerationem impertendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendae, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quae illae representant ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus, et sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur. » (Id. id.).

II. — Et quoniam ab ipso Oecumenico Concilio Episcopis, caeterisque docendi munus curamque sustinentibus mandatur, ut de Reliquiarum honore et legitimo imaginum usu fideles diligenter instruant, parochis aliisque curam animarum moderatoribus inculcamus, ut catholicam de hac re doctrinam saepius explicant, et praecipue occasione arrepta ex alicuius sacrae Reliquiae publica expositione, vel sanctorum festivitate, et ad ipsorum imagines venerandas populi concursu. Haec sana et fructuosa doctrina his temporibus, accuratius tradenda est, cum non desint qui, a fide aberrantes, alios pariter in errorem inducere conantur, quique uti superstitiosum, immo et idololatriam sapientem a simplicium cordibus eradicare satagunt piam sanctamque praxim sacras reliquias, imagines, et numismata secum deferendi, vel publice in templo venerandi, vel Bñae Virginis et sanctorum patrocinium per ipsas impetrandi.

III. — Ipsiusmet Concilii sapientissimis verbis ad hoc utantur; ait enim: « per historias mysteriorum

nostrae redemptionis, picturis, vel aliis similitudinibus expressis, erudiri et confirmari populum in articulis fidei commemorandis et assidue recolendis: tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solum quia admonetur populus beneficiorum et munerum, quae a Christo sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per sanctos miracula et salutaria exempla oculis fidelium subiiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad sanctorumque imitationem vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum, et ad pietatem colendam. » (Id. id.).

IV. — Praeterea pro nostro officio sequentia monemus ac precipimus:

1. — Prohibitum omnino est novas reliquias excipere ac venerationi exponere, nisi ab Episcopo recognoscantur et approbentur. (Id. id.).

2. — Ecclesiarum rectoribus inculcamus per amorem sanctorum, quorum gaudemus reliquiis, ut piissima sollicitudine invigilent, ne pretiosa huiusmodi ossa et divinae protectionis pignora, ullo modo profanentur, aut hominum incuria pereant. Quod si reliquias quasdam vel earum particulas, citra culpam repererint adeo corruptas, vel appposito carentes sigillo, ut amplius nec publice venerationi tuto ac decenter proponi, nec alias digne recondi possint, ad Episcopum deferant, ut, quid faciendum sit, pro sua auctoritate decernat.

3. — Duo extrema vitanda sunt, videlicet, sacras reliquias semper expositas habere, quod nefas est sine luminibus (S. R. C. 12 Aug. 1854), vel eas numquam fidelium venerationi exhibere. Custodiantur ergo in armario interius exteriusque pro dignitate exornato, sera clavique firmato; ac si fieri possit in aliquo Ecclesiae sacello, vel in sacristia separatim ab aliis rebus ibi cu-